DE

ELEMENTIS GERMANICIS POTISSIMUM LINGUAE FRANCO-GALLICAE

SCRIPSIT

LUDOVICUS SCHACHT
DR. PHIL.

BEROLINI
APUD FERDINANDUM DÜMMLER.
MDCCCLIII.

VIRO AMPLISSIMO

CAROLO FERDIN. RANKE

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERRE

AUSUS EST

AUCTOR.

De elementis, germanicis potissimum, linguae franco-gallicae.

De elementis linguae franco-gallicae scripturus ex latiore et copiosiore commentatione „de origine atque progressu linguae franco-gallicae“ ea praemittere volui, quae ad quaestiones de elementis illius linguae dirimendas necessaria esse mihi viderentur.

Atque primum non est, cur ridiculis hallucinationibus eorum immoremur, qui franco-gallicam linguam ex vascica, vel hebraïca, vel denique arabica lingua deducere conati sunt.

Pluribus argumentis opinio graeci fontis niti videtur: namque, et Massilia, Gallorum Athenae saepissime appellata, a graecis colonis condita est, et in bellis sacris Galli Graecorum consuetudine per longum temporis spatium utebantur. Attamen multa sunt, quae huic sententiae obluctentur. Nam quum franco-gallica hodierna lingua ex septentrionali Galliae parte, ex lingua, quae dicitur „*d'oil*“, originem duxerit, meridionalis haec colonia ad illam linguam formandam magnam vim propagare non potuit, etsi pauca verba ex graeco fonte inlata esse concedendum est. Quod vero ad concursum Gallorum Grae-

corumque in bellis sacris attinet, non magnum ei tribuendum est, quoniam illo tempore non modo fundamenta linguae franco-gallicae jacta erant, sed etiam parietes ita jam exstructi erant, ut sola contagione alieni populi everti nequirent.

Jam si veresimile est, quod accepimus, sedes Galliae antiquitus a Celtis occupatas fuisse, celtici sane fontis opinio primo adspectu non multum a vero aberrare videtur. Qua veri specie multi viri docti ita abusi sint, ut ingentia glossaria fictarum celticarum radicum conderent, et temere verbis, quae ex latina stirpe repetere nequirent, celticam etymologiam supponerent. Quin vero latinam linguam celticae stirpi quasi inoculatam esse arbitrati sunt. — Merito celtica haec insania plerisque suspecta habetur. Nec scio, an franco-gallicis viris doctis, etiam hujus aevi, quippe qui germanicas dialectos non calleant, crimen temere fictarum radicum celticarum irrogari possit. Sic lexicon a Bescherelleo confectum, quamvis praestantius ceteris esse ducatur, largam segetem arbitrariarum celticarum etymologiarum continet. — Le Pelletier, auctor libri inscripti „*Dictionnaire du bas breton*“, nonnullis monumentis celticae linguae ex saeculo XV. se usum esse gloriatur; sed his monumentis ipsis fides detrahenda est, quum dialectus armorica, (sive „*bas breton*“) ex mistis graeca, latina, germanica, franco-gallica denique linguis composita esse videatur.

Ab hoc loco non absonum fuerit, ut quae natura celticae linguae, quae ejus monumenta sint, quaeramus.

Quod ad universum vitae cultum Celtarum spectat, Grimmius Celtas elegantibus moribus usos esse nec a literarum gratia abhorruisse censet [1]); neque commercii societatem, neque artes ad humanae vitae utilitates per-

1) Jac. Grimm, deutsche Mythologie. I. p. XXVI.

tinentes ab illis neglectas esse ex acutissimorum virorum celticis studiis affatim patet. — Druides sacerdotumque ordinem exquisitiori scientiae indulsisse a Niebuhrio probatur [1]. — Sed certum aliquid de literis illius gentis afferri nequit, quia ne unum quidem monumentum exstat. — Quamquam nescio, an hinc quod Caesar Gallos non propriis, sed graecis literis in scribendo usos esse [2] tradiderit, colligi possit Druides graecarum literarum non prorsus expertes fuisse.

Certae reliquiae celticae linguae in nominibus propriis locorum personarumque conservatae sunt; ex his unis indolem illius linguae divinare lubrica sane via possumus. — Nec si re vera Britanniae minoris incolae, Scoti montani Hibernique [3] progenies Celtarum essent, ex horum sermonibus per tantam saeculorum seriem multis alienis elementis sine dubio inquinatis origines celticae linguae eruere liceret nobis ab omnibus literarum monumentis destitutis. — Ex paucis illis reliquiis Celtas non propriam quandam linguae stirpem effecisse collectum est. Quam paululum autem lucis vel acerrimis laboriboribus cognitioni caecorum occidentalis Europae partis incolarum affundi possit, ingeniosa Guilelmi Humboldtii studia testantur; ex iis tamen antiquos Iberos, stirpem Vascorum, a Celtis diversos fuisse, postea autem Celtas Iberosque commixtos esse elucet. Huic sententiae Henricus Martinus in praestantissimis franco-gallicis annalibus adstipulatur: cunabula Celtarum reliquorumque populorum indo-germanicae stirpis Asiam mediam fuisse [4];

1) Niebuhr, Römische Geschichte, II. p. 255.

2) Caesar, de bello Gall. VI. c. 14.

3) Hibernos certe Gaelis, non Celtis adnumerandos esse Boppius, v. cl., docuit.

4) Henri Martin, Hist. de France. I. p. 10.: Cette brillante race ... appartenait à la grande famille humaine dont l'Asie centrale fut le berceau: les langues gauloises, comme le grec, comme le latin, comme le tudesque, comme le slave paraissent se rattacher au sanscrit.

Iberos autem, ut qui a diversa stirpe descenderint, nullam societatem cum Celtis olim habuisse [1]).

Atque re vera quaecunque de Celtis comperta habemus, eo ducunt, ut affinitatem certe Celtarum et Germanorum fuisse censeamus. Utraque natio multas in gentes discreta [2]), iisdem fere moribus publicisque institutis addicta fuit [3]). — Hüllmannus speciosa ratione nomen quoque gentis ad germanicam radicem reduxit [4]). — Quum deinde nomina propria locorum personarumque perscrutatus esset, affinitati celticae et germanicae linguae suum quoque calculum adjecit [5]).

Equidem et ipse huic sententiae addictus naturam internam celticae linguae ulla ex parte erui posse nego eaque elementa linguae franco-gallicae, quae vulgo celtica dicuntur, ex germanico fonte repetenda esse censeo [6]).

Reliquum est, ut in sententiam eorum inquiramus, qui ex una latini sermonis stirpe franco-gallicam linguam derivent. Atque auctores hujus sententiae res ipsas paululum detorquere mihi videntur. Nam etsi probabile est pacata in Gallia romanam linguam diu nutritam esse, etsi Romani propagata ipsorum lingua subjectarum gentium libertatis pertinaces animos magis domare stu-

1) Henri Martin, ibid. I. p. 12.: Les Ibères, arrivés peut-être en Espagne par l'Afrique, ne se rattachent peut-être point à la grande famille indo-germaniquo; leur langage n'a laissé de vestiges que dans le dialecte très-altéré des Basques, et dans les dénominations géographiques.

2) Niebuhr, Römische Geschichte, II. p. 253.; Polybius II. c. 17.

3) Henri Martin, Hist. de France, I. p. 11. seqq.

4) „Nominibus enim „don“ (dunum) et ak (ahva?) sedes suas prope aquas sitas designare eos solitos esse, inde „Hell-don“ = sedem juxta claram aquam sitam, significasse, quam vocem in „Keldon“ transiisse, unde „Κελτοί“ atque „Kaledon“ rursusque ex posteriore nomine „Kaleten = Galaten = Gallen“ descendisse. — Hüllmann, Hist. etym. Vers. üb. d. celt. germ. Volkost. p. 117.

5) Hüllmann, Hist. etym. V., Berlin 1798. p. 139

6) Conf. p. 15.

debant [1]), etsi denique Massilia Gallorum Athenae esse praedicabatur [2]): latina tamen lingua ut arbor alienam in regionem transplantata nunquam in Gallia naturae vigorem obtinuit, arte non natura, alma nutrice, colebatur. Gallica elegantia nimis artificiosa Germanorum irrumpentibus catervis saeculo V. cultus romani flores detergentibus abstrusam obscuritatem captabat [3]). —

Praeterea in quibusdam certe Galliae partibus priscam linguam communi in commercio nondum obsolevisse testimonium praebet Ulpianus [4]). (Sulpicius Severus Dial. I. ult. distinguit inter celticam gallicamque linguam.) Insuper acriora de lege salica studia admodum probabile reddiderunt celtica jura juxta latina instituta eodem modo quo indigenam linguam juxta peregrinam in finibus Belgarum durasse [5]).

Quum in gentium migratione omnis Gallia Germanorum copiis impleta atque Romanorum imbecillo imperio erepta esset, etiam artificialis iste linguae latinae cultus periit. — Sequentibus saeculis usque ad Carolum Magnum tenebris ignorantiae immanitateque barbariei pressis initia franco-gallicae linguae produci coepta sunt. — Sed quamquam ut omnibus in partibus a mentis subtilitate, non a corporis robore pendentibus, sic hîc quoque romana auctoritas praepollebat, devicti tamen Romani Germanis imperantibus linguam suam non vi injungere poterant. — Quocirca, ut latinam linguam paullatim rursus

1) Augustin. Civ. Dei. XIX. p. 7.: At enim opera data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret.

2) Cicero, p. Fl. 26.; Tacitus, Agricol. 4.; Strabo IV. p. 181.

3) Conf. Bernhardy, Römische Litteratur, Halle 1850. p. 306.

4) Ulpianus in Digg. XXXII., Tit. I. p. 11.: Fidei commissa quocunque sermone relinqui possunt, non solum Latina vel Graeca, sed etiam Punica vel Gallicana vel alterius cujuscunque gentis.

5) Bernhardy, Römische Literatur, p. 72.

ad imperium ascendisse concedamus, Germani tamen, etsi summum studium latinis literis impendentes, magis peregrinam linguam suis sensibus, quam suos sensus peregrinae linguae accommodasse videntur. — Sed non modo formis artificialibus syntheticae linguae latinae excidium parabatur, verum etiam si quibus rebus designandis apta latina nomina deerant, nomina ex ipsorum lingua hausta inferebant. Ex hac igitur germanicis elementis commixta latina lingua, franco-gallica prodire coepit.

Nonnulli in lingua rustica romana a literarum oratione prorsus diversa principium analyticum jam pridem latuisse censent. — Fuchsius de romanis linguis magnopere meritus frustra, ut indolem illius rusticae linguae illustret, laborat. Quaecunque ex romanis auctoribus attulit, eam rusticae linguae naturam, quam ipse sibi finxit, minime probant; id unum, quod nemo negabit, ostendunt latinae orationis elegantiam a vulgo corruptam esse [1]). Ex rerum natura consentaneum est vulgarem sermonem, et in pronunciatione, et in neglegentiore verborum electione, in solutioribus denique structuris a polita literarum elegantia discrepuisse grammaticasque leges elegantioresque orationis numeros plerosque a vulgo ignoratos neglectosque esse. Obsoletioribus formis atque antiquiore colore linguam rusticam praeditam fuisse testimonia ex literis latinis sumpta demonstrant. — Cicero, qui nautarum humili societati, ut etiam minutias linguae cognosceret, se immiscuit, de diversa rusticae linguae natura ne verbum quidem edidit. — Si vero Caesaribus imperantibus lingua

1) Raynouard, Gramm. comp. des lang. de l'E. lat. p. XLVIII.: Et même les savants qui ont démontré que le peuple de Rome et des campagnes parlait un latin corrompu, se servait d'expressions, de termes insolites ou inélégants, et de tournures triviales, n'ont-ils pas fourni, par leurs propres recherches, une preuve évidente qu'il n'existait pas à Rome un idiome particulier, puisque ces termes, ces mots, quoique grossiers, étaient toutefois employés selon l'esprit et d'après les formes de la grammaire latine?

rustica a literarum oratione in dies magis discedebat, causa hujus rei ex concursu subjectarum gentium, undique Romam confluentium, repetenda est. Illi enim, etsi latinam linguam adoptaverunt, suarum tamen linguarum proprietates ita inferebant, ut linguam rusticam ipsam pessumdarent; facilius enim in alienam linguam, quam in alias cogitandi vias insinuari licet.

Burguius, quum sanam de lingua rustica opinionem et Fuchsii fictionem conflare studeat, primum multa de lingua rustica profert, deinde vulgaris et literarum orationis naturam differre negat [1]): atqui hinc non talis lingua rustica efficitur, qualem Fuchsius voluit, quippe qui Romanos viros nobiliores, ut vulgo sensus suos aperirent, interprete indiguisse dicat.

Ex omnibus, quae exposui, jure colligere mihi videor reliquas de origine franco-gallicae linguae opiniones esse rejiciendas, probandam sententiam meam, qui franco-gallicam linguam a romanis elementis ita ortam esse contendam, ut ab elementis germanicis, et pronuntiatio et grammaticae structurae immutatae, et verborum copia aucta sit: celticas vero reliquias, si quae in franco-gallica lingua indagari possint, majore jure germanicae, quam ulli alii linguae adnumerandas esse.

Latinis de elementis franco-gallicae linguae quum jam viri doctissimi Raynouardus, Fallot, Diezius, Fuchsius alii latius egerint, equidem minore ratione latinorum elementorum habita germanicam linguam, quam vim ad formas linguae franco-gallicae fingendas exercuerit, persequar [2]).

1) Burguy, Gramm. de la lang. d'oïl, Berlin 1853. I. p. 7.: Le latin écrit et le latin vulgaire furent, il est probable, identiques dans les commencements.

2) Diez, Gramm. d. Roman. Sprachen, III vol. Bonn, 1836—1844, I. p. 45.

I. Etymologia.

De pronunciatione.

Primus tractatum de „franciscae linguae pronunciatione“ [1]) edidit Theodor Beza, atque optime acutus ille vir jam perspexit franco-gallico in sermone singula enunciationis vocabula ita coalescere, ut uno tenore deferantur (p. 9. et 10.). — Accentibus unum membrum prae ceteris a Gallis non premi (p. 26.); vocales „*a*“ et „*e*“ elidi (p. 82.) apertissime enotàvit. Atque vix graviorem pronunciandi legem investigare poteris, quin in Bezae tractatu memorata sit.

Saepius ad priscorum Gallorum pronunciationem provocat (p. 26.), et profecto naturam pronunciationis cum linguae ingenio arctissime cohaerere peritum fugere nequit.

Inde necessario quaerendum est, unde pronunciatio orta sit. Atque hac quidem in quaestione in eam rem incidimus, in qua omnes fere consentiunt. Nam non modo Schlegellus, Sismondius, sed etiam Raynouardus, Fallot, Diezius, Fr. Weius [2]) germanico ex fonte pronunciationem franco-gallicam derivandam esse uno ore declaraverunt. Unus Geninus [3]) inde ab aequalibus Ennii et Plauti franco-gallicam pronunciationem repetendam esse alucinatus est, sed quum ea opinio tum universum ejus opus ineptiora sunt, quam quae respiciantur.

Franco-gallicae pronunciationis propria natura in acervatione vocalium cernitur. Diphthongi enim non modo excultae, sed etiam frequentissimae sunt, quae res ex pluribus syllabis in unam contractis explicanda est: sic „*àu*“ hac de causa saepissime redit, quia consonans „*l*“ in vo-

1) De Franciscae linguae recta pronunciatione tractatus, Theodoro Beza auctore Genevae 1584.

2) F. Wey, Histoire des révol. du langage en France. Paris 1848.

3) Génin, des variations du langage fr. Paris 1845.

calem „*u*" transmutata est: sic *alter* = *autre*, *bellus* = *beau*, *mantellum* = *manteau*, *psalmus* = *psaume*, *martellus* = *marteau* etc. — Contractione transit *trahere* in *traire*, *facere* in *faire*, *placere* in *plaire*, *tacere* in *taire*, *focus* in *feu*, *jocus* in *jeu*, *pellis* in *peau*, *populus* in *peuple*. Nec diversa de causa extremae fere syllabae acuto accentu proferuntur, quoniam hîc radix verbi latere solet.

De antiquorum temporum pronunciatione quamquam non sine summa difficultate certi aliquid erui potest, Jacobi Grimmii tamen sagacitati perfectam germanicorum sonorum cognitionem debemus. Mihi quidem accuratius Grimmii grammaticam tractanti franco-gallicas vocales analogiam gothicarum et antiquo-teutonicarum secutas esse persuasi. Atque antiquo-teutonica lingua eandem quam franco-gallica rationem ad gothicas formas tueri videtur.

Vocalis „*a*", quae purissimo sono creatur, saepissime infracta est [1]): sic ex „*a*" ortae sunt: „*ai*" = „*ä*", „*e*" etc. ut *amare* = *aimer*, *plangere* = *plaindre*, *laudare* = *louer* [2]). — Quodsi Franco-galli vocalem „*i*" syllabae „*ail*" nunc supprimunt, radici verborum appropinquant. Menagius, utrum „*agu*" an „*aigu*" scribendum sit, certavit. Atque Marot promiscue scripsit et „*a*" et „*ai*", quae diphthongus nunc sonum „*ä*" sive „*e*" excepta syllaba „*ail*" aequat. —

Germanica porro ex lingua repetendum est, si ex vocali „*a*" accedente „*i*" fit „*e*" [3]); „*ai*" jam gothica in lingua sonum „*e*" habet: Ulphilas enim diphthongo „*ai*" [4]) utitur loco vocalis „*ε*" nominum propriorum; qua de causa *saihs* et *taihun* in antiquo-teutonica lingua transeunt in *sëhs* et *zëhan* Ut franco-gallica diphthongus „*ai*" so-

1) Jac. Grimm, deutsche Grammatik, I. p. 47.
2) ibid. I. p. 67.
3) ibid. I. p. 75.
4) ibid. I. p. 52.

num „ä" habet, sic gothica „ai" respondet antiquo-teutonicae „ë" [1]).

Quod si „a" in fuscum sonum „u" inclinat, oritur „o"; Ulphilas graecam vocalem „o" exprimit gothica diphthongo „au"; ut franco-gallica „au" non differt ab „o", ita gothica „au" teutonicae „o" eadem est [2]).

Diphthongus „ui" in lingua franco-gallica frequentissima in antiquo-teutonica quoque lingua saepissime usurpatur: sic *suih* (fraus), *suin* (sus), *suimman* (natare), *suirbu* (tergo). Consonantis natura, quae literae „u" interdum inhaeret, etiam nunc in franco-gallica pronunciatione obvia fit. „*Je suis*" recte pronunciatum magis assonat „*swi*" quam „*su-is*". — Diphthongus „*oi*" recentioris nec antiquis in monumentis obviae fusca natura germanicam originem in fronte gerit. Nec minus germanica vis effecisse videtur, ut franco-gallica in lingua vocalis „u" latino in sermone pure pronunciata sonum „ü" assumpserit, qua eadem ratione in recentiore Bataviae sermone vocali „u" vis „ü" inhaeret. Ut uno antiquo signo „u" expressae sunt „u" et „ü", sic in franco-gallica lingua ex „u" profectae sunt „ou" et „u"; sed teutonicis in literis sonus „ü" peculiari signo designatus est, in franco-gallica autem praeposita vocali „o" indicatur [3]). Hos ad principes sonos reliqui facile referri possunt [4]).

De consonantibus.

De consonantibus, quae viri docti disseruerunt, missa facere, quae illi minus respexerunt, addere licet. Francos, ut Saxones qui nunc sunt, literam „b" adamasse notum est; hinc factum est, ut larga seges verborum con-

1) Jac. Grimm, deutsche Grammatik, I. p. 77.
2) ibid. I. p. 88.
3) Vocali u signum o ex similitudine graecae formae „ov" adjectum videtur.
4) Conf. J. Grimm, deutsche Grammatik, I.

sonantem „*b*“ includentium non modo ex graeca, sed etiam aliis linguis in franco-gallicam migraverint, sic *βόρβορος* (bourbe), *βούτις* (boute), *βρεμεῖν* (bramer), *βύρσα* (bourse), *βλασφημεῖν* (blâmer); *bassus, battuere, bucca, baia.* Eadem de causa „*b*“ saepissime cum „*p*“ et „*v*“ mutatur, ut *vasco* = *basque, capanna* = *cabane* [1]).

Praeterea teutonica litera „*h*“ majore aspiratione pronunciata in franco-gallica lingua magnas partes sustinet; nam dum aspirata „*h*“ ex latino fonte deducta in pronunciatione prorsus negligitur, nec nisi originis viam indicat, teutonica aspirata „*h*“ suam vim tuetur, sic: *hache havre, haie, haillon, hampe, hameau, happer, hâter, hair, sou-haiter, hareng, héraut, hêtre, hoge, honte, hoyau* etc. — Atque adeo in verba nonnulla latinae originis teutonica aspirata „*h*“ irrepsisse videtur: *haut* (altus), *hauteur* (altus), *houblon* (lupula), *huppe* (upupa), *hurler* (ululare), *héros* (heros) etc.; his enim in verbis aspiratio affinibus teutonicis vocalibus munita est: hoch, Höhe, Hopfen, Wied-hopf, heulen, Held.

Teutonica denique „*w*“ bifariam expressa est. Litera enim „w“ ita ex duplici vocali „*u*“ orta esse videtur, ut modo consonantis modo vocalis naturam sibi vindicaret, quam quidem rationem etiam nunc anglica pronunciatio (world, word) declarat. — Haec forma in initio vocabulorum admodum rara invenitur in *ouais* (weh!), *ouest* (West), *ouate* (Watte, angl. wad), *ouiller* (wellen), atque in *ouan, ouistiti,* ut sonus naturae reddatur; multo frequentior haec forma in mediis verbis, potissimum in nominibus propriis occurrit: *Baldouin* (Baldwin), *Goudouin* (Gottwich), *Hardouin* (Hartwich); *s'avachir* (weichjan), *mouette* (Muwo = Möwe). Altera mutatione „*w*“ transit in „*gu*“. Quum enim aspiratio consonanti „*w*“ pronunciatae ad-

1) Exempla colligas ex glossario.

mixta in sonum gutturalem abiisset, vocalis „*u*“ et consonans gutturalis conjunctae signo „*gu*“ apte expressae sunt, sic: *guerre* (wêr), *guêpe* (guespa = wefsa), *guelfe* (Welfe) etc. — Quod quum primitivae literae „*w*“ oblivio facta esset, gutturalis „*g*“ obmutescens ne scribendo quidem designata est, sic: *gaufre* (gafrum = waffel); *gant* (wantus), *garant* (warôn = wahren), *garnir* (warnôn), *gazon* (waso), *gâcher* (waskan), *gâteau* (wastel) etc.

De singulis consonantibus teutonicis sagacissime Diezius egit, cujus ex libro tabulam consonantium, quae ad linguam franco-gallicam pertinent, excerpsimus:

Vocales

antiquiss. teut.	goth.	franco-gall.	ant. teut.	fr.-gall.
a	a	a, ai	e	e
i	i, ai	i, e	ë	ié
u	u, au	u, o	o	
â	ê	a, e		
î	ei	i		
ô	ô	o	uo	
û	û	u (i. e. ü)		
ai	ai	a, ai	ei, ê	
au	au	au = o		

Consonantes

goth.	franco-gall.	ant.-teut.	fr.-gall.
p	p et b	f, pf	f
b	b, v	p	f
f	f		
v (init.)	(v)	w	gu et g, ou[1])
v (med.)	v	w	o
k	c (k)	ch	cha, che, chi
g	g et j	k	c

1) Nonnullarum mutationum Diezius mentionem non fecit.

goth.	franco-gall.	ant.-teut.	fr.-gall.
j	j		
h (init.)	h		
h (med.)	g		
t	t	z	s
d	d, z (sync.)	t	t
th	d	d, t	t
s et z	s	r	r

Latior est compositarum consonantium ruina: quum ex pluribus teutonicis consonantibus ea tantum, quae acutiorem sonum efficiat, conservetur, sic ex consonantibus „*bj*, *pj*, *dj*“ unus sonus (j sive g) superstes est: *laubja* = *lauba* = *loge*, *ga-vadjan* = *engager;* ex „*nd*“ et „*ndr*“ una consonans „*n*“; *brandr* = *bran.* Syllabis „*scl*“ et „*str*“ praefigitur vocalis „*e*“, ne aliqua consonans ejiciatur; qua eleganti et frequenti ratione nec radicis origo obscuratur, nec harmonia laeditur: sic ex *sclav* = *esclave,* ex *strand* = *étrain* etc.

His ex mutationibus teutonica verba, quae infra adjecturi sumus, optime explicantur.

Ex tabula supra descripta apparet teutonicorum sonorum integritatem multo magis, quam latinorum conservatam esse. Nam dum latinae vocales permultas vices sustinuerunt, et aspirata „*h*“ obmutuit, eadem elementa teutonica integra manserunt. Nonne haec res testimonium est puram teutonicam pronunciationem vel juxta vel intra franco-gallicam perseverasse? — Quum enim latina pronunciatio medio aevo nimis remota fuerit, praesens teutonica pronunciatio multum non valere non potuit. — Id vero maxime affinitatem teutonicae et franco-gallicae linguae probat, quod ipsa teutonica elementa franco-gallico ingenio accommodata sunt. — Quodsi historica ars grammatica, quae cognitionem franco-gallicae linguae aperuit, magis hanc rem respexerit, multa adhuc obscura in lucem proferentur.

De elementis franco-gallicae linguae.

Colluviem esse linguam franco-gallicam diversissimorum elementorum ejusque verba vel corrupta vel mutilata esse multi infensis animis criminantur. At primum nescio, an injuria linguae obtrectetur, quod ex latinis literis a juvenili alacris nationis fervore arreptis orta sit. Quod si postea italica, hispanica aliaque verba immigraverunt, similia quavis in lingua reperiuntur; atque quaeritur, an uberrima lingua germanica, quae tot verba ex franco-gallica mutuata sit, eandem quam franco-gallica virtutem alienorum elementorum suo ingenio accommodandorum ediderit. Et omnino lingua magis, quae laudetur, quam quae vituperetur, digna est, si servata propria natura a communi commercio non abhorret. — Etymologia sane franco-gallicae linguae interdum difficillima est, sed vulgus franco-gallicum hanc ob causam non minus quam germanicum sui sermonis peritum est. Germanicae radices pariter Germanis quam franco-gallicae Franco-gallis ignotae sunt. Altior cognitio linguae ubivis viris doctis, non humili vulgo data est. — Atque linguae verba paullatim immutantur; quodsi tot saeculis praeterlapsis verba aliam formam induerunt, vix mutilata depravataque dici possunt. Quid nocet prisco trunco, si aridos ramos deciderimus, ut novi progerminent? [1])

De celticis elementis.

Jam in exordio dissertationis celticam linguam cum germanica magna necessitudine conjunctam esse innuimus. Atque nescio, an hanc quidem sententiam ipsa celtica verba, ut quae pleraque ad teutonicas radices referri possint, confirment, ut:

1) Jac. Grimm, deutsche Gramm., II., 14.: Die wurzelreiche älteste sprache erfreut sich lebendiger namen und wörter, für deren nothwendigkeit und beziehungen ihr eine fülle von ablauten zu gebote stehen. Die spätere, indem sie wurzeln aufgiebt, ablaute fahren lässt, strebt durch förderung der ableitung und zusammensetzung, beweglichkeit und deutlichkeit das ganze zu vervollkommnen.

alausa = fr.-gall. alose = Alse = Else = Erle.
alces = Elch = Elc, i. e. Kraft-, Stark-thier = Elen-thier = élan (Caes. de B. g. VI. 27., Plin. VIII. 15, 6.)
arinca = riguet (ling. prov.) = Rocken, Roggen. (Adelung, Mithr. II, 45.)
bardus (Tacit.) = fr.-gall. barde = Barde.
benna = fr.-gall. banne = Benne. (carrus).
brace = fr.-gall. brai = Brei (Malz), unde
brasser = brauen.
burgus = bourg = Burg.
camisia = chemise = hêmidi = Hemde. (C. Gloss!)
carrus = char = Karre.
drungus = Drung (?) = Drang = Gedrang i. e. Haufe.
framea (frangia) = frange = Franzen.
gaesum = goth. gais = ant.-teut. = gêr = Speer.
ganta = Gans.
glessum sive glaesum = (unde Glas) gleißen = glänzen i. e. Achtstein = Bernstein.
marca = marche = Marke.
margarita = marguérite = ant.-teut. merigrioz = Perle. (Grimm Gr. III. 380.)
sapo = savon — ant.-teut. saifa = Seife.
sparum = ant.-teut. spêr.
urus = fr.-gall. ure = ant. teut. ûr.

Quodsi aliorum celticorum nominum (ut *alauda* = *alouette*, *becus* = *bec*, *leuca* = *lieu*, *merga*, *sagum*) radices erui non possunt, formam tamen germanicae tam similem habent, ut germanicum fontem subesse suspicari liceat. Atque fortasse multa ex iis verbis, quorum origo obscura est, germanico fonte cadere viderentur, dummodo radicum vices persequi liceret, ut: *bauge*, *bedon*, *biais*, *biffer*, *bigne*, *bigue*, *biser*, *blaireau*, *blaude*, *blêmir*, *bobire*, *bondir*, *borgne*, *boucher*, *bouder*, *boue*, *brague*, *brifer*, *brin* etc.

De affinitate latinorum germanicorumque verborum.

Gothica atque etiam antiquo-teutonica lingua quum grammaticis in formis tum in stirpibus latinae tam agnata est, ut facillime in verbis a latina origine descendentibus alius latinam, alius germanicam radicem reperire sibi videatur, et multorum verborum infra enarratorum origo biceps maneat. Atque haec affinitas germanicae et latinae linguae effecit, ut tam brevi tempore nova lingua francogallica emerserit. Latissime patet necessitudo verborum vocalem „*a*“ includentium, in quibus gothicae formae integriores esse videntur:

A goth.

aljái = alii,	kara = cura,
marei = mare,	namô = nomen,
huan = quando,	haba — habeo,
plapja = platea,	raþjô = ratio,
gras = gramen,	hlas = hilaris,
asilus = asinus,	aggilus — angelus,
sakkus = saccus,	assarjus = assarium,
salt = sal,	karkara = carcer,
akrs = ager,	ahva = aqua,
faskja = fascia,	vasti = vestis,
hafja = capio,	atisk = ador,
saps = satur,	hafts = captus,
aggvus = angustus.	

A transit in **O.**

mala = molo,	alêv = oleum,
tamja = domo,	laggs = longus,
nahts = nox,	vaka = vigilo.

A ant-teuton.

anut = anas,	monôm = moneo,
hapêm = habeo,	mako = (sto-) machus,

A ant.-teut.

aha = aqua, achar = ager,
nachut = nudus, sat = satur,
vaz = vas, halla = aula,
walles = valli, wanna = vannus,
salz = sal. marcha = marca,
part = barba, asc = aesculus.

a transit in **e**.

mânôt = mensis, samo = semen,
wanpa = venter, zand = dens.

E ant.-teut. (**ai** goth.).

nëst = nidus, wëllan = velle.

J goth.

sila = sileo, sineigs = senex,
grid = gradum, midja = medium,
viduvô = vidua, mita = metior,
milip = mel, sita = sedeo,
simlê = semper, vinds = ventus,
intinda = incendo, fisks = piscis;
ant.-teut. tisc = discus.

O ant.-teut.

worm = vermis, horn = cornu,
hôran = audire, ôra = auris,
flôdar = fluor.

U goth.

juk = jugum sunna, sauil = sol,
juggs = juvenis, pund = pondus,
anakumbjan = accumbere, lukarn = lucerna.

U ant.-teut.

hnuz = nux,	fluz = fluxus,
suin = sus,	scûm = spuma,
mûs = mus,	ûr = urus.

Ai goth.

aigh, aih = habeo,	aiz = aes,
maís = magis,	leihts = levis.

Au goth.

ráubo = rapio,	auka = augeo [1]).

De latinitate degeneri.

Romano imperio everso quum magna copia genuinorum verborum latinorum novis verbis cessisset, in franco-gallicam linguam non illa genuina, sed haec recentiora illata sunt, sic:

latin. prisc.	latin. deg.	franco-gall. verba.
anser	auca	oie
aula	cohors (curia?)	cour
baculum	bastones	bâton
discere	apprendere	apprendre
edere	manducare	manger
emere	acceptare	acheter
ensis	spatha	épée
exercitus		armée
humerus	spatula	épaule
ire	ambulare	aller
iter	viaticum	voyage
lapis	petra	pierre
ludus	jocus	jeu
magnus	grandis	grand

1) Conf. Jac. Grimm, deutsche Grammatik, I.

latin. prisc.	latin. deg.	franco-gall. verba
mittere	inviare	envoyer
os	bucca	bouche
parvus	picken (?)	petit
pulcher et formosus	bellus	beau
pulsare	batuere	battre
proelium	batualia	bataille
verbum	parabola	parole
vertere	tornare	tourner
bellum	werra	guerre etc.

Nova haec vocabula unde emanaverunt? Magna quidem pars procul dubio ex latinà lingua vulgari descendit; sed major pars ex colluvie barbararum gentium germanicarum imprimis derivanda est. Itaque multa verba per istam degenerem latinitatem ex germanico fonte in francogallicam linguam immigraverunt, ea imprimis, quae ad res militares et navales spectant. Quanta vero facilitate infima et media latinitas quum alia tum teutonica elementa receperit, apparet ex his exemplis:

lat. deg.		teut. verb.
faida, feida	=	Fehde
geldum	=	Geld
gisil, gisilis	=	Geisel
glogga	=	Glocke
haderunga	=	Hader
moldra	=	Malter
mund, mundium	=	Mund, Vormund
sculdasius	=	Schultheiß
spanna	=	Spanne
spelta	=	Spelt
steura	=	Steuer [1]).

1) Conf. Spelmann, Glossarium archaeologicum, Lond. 1687.

De germanicis elementis in Galliam translatis.

Multa denique germanica vocabula in lingua franco-gallica reperiuntur, quae ex ipsa Germania duobus temporibus irrepserunt. Antiquissima enim teutonica una cum germanicis gentibus eo tempore, quo lingua franco-gallica ebullabat, immigraverunt. Quae omnia fere ex gothica et antiquo-teutonica lingua profecta sunt. — Postea vero Normanni nova elementa ex septentrionalibus Germaniae dialectis profecta intulerunt; accedit, quod pleraeque radices amplas derivatorum et compositorum verborum familias procreaverunt; in glossario autem primitiva laudare satis habuimus.

Teutonicorum verborum egregius vigor multum discrepat ab inertia verborum alienorum novissimis temporibus acceptorum; unde quivis intelligere potest germanica verba jam antea in lingua franco-gallica fuisse formisque suam notam impressisse[1]). Haec enim non modo raro novas derivatasque formas emittunt, sed etiam pleraque ex honesto sensu in ignobilem et sordidam significationem detorta sunt. — Quamquam hanc injuriam omnes fere linguae alienis verbis inferunt, sic teutonica: Herr, Lippe, Land, Mund, Roß hanc in deteriorem significationem deflèxa sunt: *un pauvre hère, faire la lippe, lande maigre, faire la moue, une vieille rosse.*

Si quis germanica vocabula perlustraverit, non modo suppellectilem omnis generis, sed etiam voluptates doloresque, omnes denique quotidianae vitae conditiones expressas videbit. A latinis differunt populari quadam et forti naturâ. Jam ex his verbis germanicam linguam non parvam vim ad franco-gallicas formas excudendas exercuisse colligi potest.

1) Diez, Gr. d. Rom. Spr., II. p. 228.

De formatione verborum et de copia eorum verborum, quae ex ipsis radicibus formata sunt.

Franco-gallica lingua quamquam, si cum germanica comparatur, ubertate inferior est, copiosior tamen, quam imperiti opinantur, aestimari debet. Ex orthographia enim occasionem copiae verborum amplificandae ita eam petiisse, ut ex una radice duo verba diversae significationis derivaret, videbimus. Qua in re verbum latinae radici similius plerumque recentioris originis est:

radix.	antiq. form.	recent. form.
acceptare	acheter	accepter
blasphemare	blâmer	blasphémer
calculus	caillou	calcul
campus	champ	camp
	champagne	campagne
canalis	cheneau, chenal	canal
cantor	chantre	chanteur
capitulum	chapitre	capitule
captivus	chétif	captif
caput	chef	cap
casa	chez	case
catena	chaîne	cadène
causa	chose	cause
charta	carte	charte
costuma	coutume	costume
dama	daim	daine
decimare	dîmer	décimer
divinus	devin	divin
ducatus	duché	ducat
dux	duc	doge (ital.)
examen	essaim	examen
factio	façon	faction

radix.	antiq. form.	recent. form.
ficus	figue figuier	
fragilis	frêle	fragile
francus	franc	français
gravis	grief	grave
homo	on	homme
hospitalis	hôtel	hôpital
implicare	employer	impliquer
Isara	Oise	Isère
ligare	lier	liguer
major	maire majeur	major
memoria	mémoire (fem.)	mémoire (masc.)
natalis	noël	natal
nativus	naïf	natif
non	non ne	
nux	noix noyer	
officium	office (masc.)	office (fem.)
opera	oeuvre	opéra
organum	orgue (?)	organe
pannus	pan	panne
parabola	parole	parabole
pascha	pâques (masc.)	pâque (fem.)
passus	pas (subst.)	pas (neg.)
pastor	pâtre	pasteur
pausare	poser	pauser
pendulus	pendule (masc.)	pendule (fem.)
pensare	peser	penser
Persica	pêche	persique
pietas	pitié	piété
potio	poison	potion

radix.	antiq. form.	recent. form.
purpura	pourpre (masc.)	pourpre (fem.)
redemptio	rançon	redemption
rigidus	roide	rigide
romanus	romain	roman Roman
sacramentum	serment	sacrement
scandalum	esclandre	scandale
secare	scier	séyer soyer
securitas	sûreté	sécurité
senior	sire	seigneur sieur
separare	sevrer	séparer
serviens	sergent	servant
singularis	sanglier (?)	singulier
species	épice	espèce
strictus	étroit	strict
superficies	surface	superficie
triumphus	triomphe (masc.)	triomphe (fem.)
velum	voile (fem.)	voile (masc.)
vigilia	veille	vigile.

Nec raro et teutonicae et latinae radices simul receptae et eadem potestate usurpatae linguam locupletaverunt, quarum germanicae antiquiores esse videntur:

german. verb.	lat. verb.
blanc [1])	candide
bouquin	livre
bourgeois	citoyen
briser	casser
choisir	élire

1) Conf. Gloss. germ.

german. verb.	lat. verb.
écrivisse	cancer
est	orient
franc	libre
le franc	la livre
franchise.......	sincérité
frapper	battre
gaité ....,.	joie
gripper	voler
guider	conduire
haine	aversion
hameau	village
harangue	discours
hardiesse	audace
haveron	avoine
hase	lièvre
honnir	déshonorer
jalousie	émulation
liste	catalogue
loger	demeurer, habiter
marquer	désigner
moue	bouche
nord	septentrion
ouest.	occident
quille	cône
sud	midi

At vero si lingua uni voci de diversa origine deductae duas significationes reliquit, hanc inopiam lepida ambiguitate compensavit; hac enim ratione Franco-galli facete verbis ludere callebant, qui sales (calembours) familiarem sermonem nescio quo lepore ornant, sic:

radices.	verb. fr.-gall.
carmen carpinus	.... charme

radices.	verb. fr.-gall.
carce chartula	chartre
falx falsus	faux
feriae foria	foire
focus fu(it)	feu
locare laudare	louer
mille millium	mil
novus novem	neuf
pagina παιδίον	page
palatium palatum	palais
peccare Persicarius	pêcher
suus sonus	son
tuus ton	ton
volare inviolare	voler.

Quoniam autem composita verba desunt, lingua ad damnum explendum usa est nominibus propriis in significationem certarum conditionum deflexis; sic: *arabe*, *gothique*, *grec*, *hébreu*, *latin*, *suisse*, *courir comme un basque*, *pêche* (Persica), *damas* (Damascus), *échalotte* (Ascalon), *inde* etc.

Indefessa vero alacritate et grata quadam facilitate novis rebus arte confectis nomina propria Franco-galli

imponere et ita commodare solent, ut ab omnibus fere gentibus accipiantur, ut: *avignon*, *baïonnette*, *barège*, *cachemir*, *cordouan* (cordonnier), *damas*, *faïence*, *manchestre*, *moroc*, *maroquin*, *milanaise*, *moscouade*, *nanquin*, *tibet* etc. — Tales termini in omnibus vitae partibus occurrunt, atque vix a peregrino exhauriri possunt.

De derivationibus.

Nominum inopia quadam franco-gallicam linguam premi, quia facultate componendorum verborum privata sit, saepe jam dictum est. — Atque profecto a compositione linguae franco-gallicae ingenium plerumque abhorret, sed hanc jacturam explent larga derivationum subsidia [1]). Germanica in lingua composita verba tam frequentia sunt, ut oratio interdum impedita atque tumida fiat. Compositio ibi munere suo apte fungitur, ubi duas notiones ita conjungit, ut unam quasi imaginem efficiant; sed verba latina *societas*, *justitia* praestant germanicis: Gesellschaft, Gerechtigkeit [2]), quia hîc simplices notiones flagitantur.

Saepe queruntur hoc illudve verbum compositum in lingua franco-gallica tam accurate reddi non posse, ut vox voci respondeat. Sed ob singula verba de universa linguae natura judicari nequit, praesertim quum verba res sensibus subtractas designantia raro in diversis linguis plane congruant. Atque hac de parte nullam linguam in aliam accurate vertere licet. Ut enim teutonica verba composita aegre franco-gallicis exprimuntur, ita franco-gallicarum derivationum subtilitates teutonica lingua difficillime redduntur.

Derivationum enim copia, quae attentum et acutum animum testantur, franco-gallica lingua omnibus reliquis

1) Jac. Grimm, deutsche Grammatik, II. p. 978.: den mangel an zusammensetzungen vergütet allen romanischen sprachen ein reichthum von ableitungen. Im deutschen verhält es sich nahe umgekehrt.

2) Jac. Grimm, deutsche Grammatik, II. p. 965.

antecellit. — Hanc ad rem illustrandam pauca verborum exempla ex multis apponemus, in quibus nos omnes syllabas praefixas omisisse notes:

1. Caballus:

Cheval, chevalée, chevalement, chevalier, chevaleresque, chevaleresquement, chevaleresse, chevalerie, chevalet, chevalier, chevalière, chevaline, chevalis, chevalerifère, chevauchable, chevauchant, chevauchée, chevauchement, chevaucher, chevaucheur, chevauchons, chevau-legers; cavalage, cavalcade, cavalcadour, cavale, cavalerie, cavalier, cavalièrement, cavaline, cavalot, cavalquet etc.

2. Roma:

Rome, Romagne, romain, aine (adj.), romain (subst. masc.), romainement, Romainville, roman (subst. masc.), roman, ane (adj.), romance, romancerie, romancero, romancie, romancier (subst. masc.), romancier, ière (adj.), romancier (verb.), romancine, romané, Romanèche, romanédie, romanesque, romanesquement, Romanie, romanier, romanin, romanique, romanisé, ée, romaniser, romaniste, romano-gallican, romano-rustique, romantique, romantiquement, romantisme, romées (subst. fem. pl.), romescot, romicole, romilie, romilienne, romipète etc.

3. Scribere:

Écrire, écrit, ite, écrit (subst. masc.), écrite (subst. fem.), écriteau, écritoire, écriture, écrituré, ée, écriturer, écriturier, écrivaillé, ée, écrivailler, écrivaillerie, écrivailleur, euse, écrivain, écrivant, e, écrivassier, ière, écriveux, euse, écriveux, euse; scribanie, scribe, scriblage, scriblite, scribomane, scribomanie, scripteur, scripturaire, scriptural, e.

Haec vero uberrima derivationum copia sine dubio ex conjunctis latinis germanicisque subsidiis explicanda

est. — Atque de latinis derivationibus Diezius[1]) et Fuchsius[2]) accurate disseruerunt.

Germanico ex more multa verba ex ipsis radicibus formata sunt[3]), sic ex: *appeler, aider, couper, demander, envoyer, estimer, fatiguer, garder, liguer, tourner, veiller, voler, voyager* derivantur: *l'appel, l'aide, le coup, la demande, l'envoi, l'estime, la fatigue, la garde, la ligue, la veille, le vol, le voyage.* —

Ex verbis sic derivatis rursus magnae familiae oriuntur, verbi causa:

deriv. primi ord.	derivat. secundi ordinis.
appel.....	appelant, appellatif, appellation,
coup.....	coupeur, coupoir, coupon, coupure,
demande..	demandeur, euse, demanderesse,
estime....	estimable, estimateur, estimatif, estimation.
tourne....	tournage, tournée, tournement, tournure,
vol.......	volaille, volatilité, volatille,
voyage ...	voyageur, euse, voyagiste.

De derivationibus ex verbis proprie dictis.

Priori derivationum generi verba ex infinitivo derivata apte adjunguntur, quae et ipsa germanicae originis esse videntur; latina enim lingua infinitivo substantivi vim numquam assignat. — Franco-gallica lingua infinitivi non modo singulari, sed etiam plurali numero utitur, exempli causa: *le baiser* (les baisers), *le danger* (les dangers), *le devoir, le dîner, le manger, le pouvoir, le souper.*

1) Conf. Diez, Gr. d. Rom. Spr., II.

2) Fuchs, die Rom. Spr. in ihrem Verh. zum Latein, Halle 1849.; v. die Ableitungen.

3) Jac. Grimm, deutsche Grammatik, III. p. 785.: Es fällt auf, wieviel romanische masc. und fem. aus dem reinen stamm, ohne zuziehung von ableitungen gebildet werden, denen keine lateinischen entsprechen, z. b.: franz. „le vol, le coup, la demande, l'aide, la garde“ u. s. w., von „voler, couper, demander, aider, garder“; sollte hierin nicht einfluss der deutschen „flug, schlag, bitte, hilfe, warte“ anzunehmen sein?

Nec parvus numerus verborum ex participio praesentis et praeteriti temporis fingitur [1]).

Frequentiora tamen vocabula sunt ex imperativo atque praesenti tempore deducta, quae analogia similium teutonicorum exemplorum tuetur [2]). Hoc in derivationis genere saepe imperativi duorum verborum copulantur, ut: *le joujou* (i. e. joue-joue), *le passe-passe, le chantepleure,* aut imperativus vel plerumque praesens tempus cum substantivo conjungitur [3]). Extrema haec formatio latissime in sermone vulgari patet, atque unam justam compositionis rationem franco-gallicae linguae efficit. — Itaque in vulgari colloquio verba hac ratione ficta creberrime audiri possunt, ut: *brûle-gueule, passe-partout, porte-feuille, tire-bouchon, tire-botte, coupe-tête, porte-dîner* etc. — Ne scribendi quidem elegantia has formas respuit.

Rariores sunt formationes hujus generis: *caillots-rosats, bouts-rimés, sage-femme.*

De derivationibus adjunctione syllabarum formatis.

Verba et praefixis et suffixis syllabis derivantur. Franco-gallica lingua omnes fere latinas syllabas hujus generis mutuata largam messem teutonicarum adjecit.

Atque frequentissima syllaba praefixa est „*miss*" = „*mes*" = „*mé*" ut: *méconnaitre* (mißkennen), *méprise* (Mißgriff), *mépris* (Mißachtung), *mécréance* (Mißglaube). — Etiam latius antea patuit usus hujus syllabae, quum omnes notiones aliis contrarias hac simplici via exprimere solerent.

1) Conf. Raynouard, Choix d. poés. or. d. Troub. I., VI vol., Paris 1816—1821., et Diez, Gr. d. Rom. Spr. II.

2) ex c.: Habe-dank, ehr-en-fried (ehre den frieden), spring-ins-feld, zeitvertreib, lebe-recht, fürchte-gott, trau-gott, liebe-treu, lebe-wohl.

3) Hoc compositionis genus confundi non debet cum antiqua illa ratione, qua purae radices conglutinantur. Quod ne statuamus, monet ipsa orthographia partes horum compositorum verborum antiquitus plane divellens, nunc lineola certe sejungens.

Suffixarum syllabarum teutonicarum gravissimae sunt hae: „*wald*“, unde „*aud*“, „*ault*“, „*aut*“, et „*hart*“, unde „*ard*“ et „*art*“ factae sunt, porro: „*att*“, „*ett*“, „*itt*“, „*ott*“ 1) et „*ing*“, „*ling*“. Atque syllabae affixae nonnumquam effecisse videntur, ut latina verba similem istis syllabis terminationem acciperent.

Adjicienda sunt exempla derivationum ex his syllabis suffixis teutonicis:

Suff. „*aud*“ et „*ault*“: artichaud, badaud, courtaud, crapaud, échafaud, ferrault, garsault, maraud, nigaud, pataud, pinault, réchaud, rougeaud, taraud, verdaud.

S. „*aut*“: brifaut, Escaut, grenaut, hainaut, héraut, hurhaut.

S. „*ard*“ („*arde*“): babillard, bâtard, bavard, bayard, bragard, étentard, gadonnard, guépard, hagard, hasard, hussard, léopard, lézard, mignard; écharde, hallebarde, ginambarde, moutarde, péricarde.

S. „*art*“: brocart, champart, hansart, malart, rempart.

S. „*att*“ („*ate, atte*“): ouate, savate; barotte, chatte, datte, patte.

S. „*ett*“ („*et*“, „*ette*“): bouquet, brunet, loquet, navet, oiselet, saquelet; alouette, baisette, bassette, boursette, belette, chaussette, époussette, facette, garcette, lancette, navette, pincette, poulette.

S. „*itt*“ („*ite*“, „*it*“): frite, lazarite, marguerite, scénite, granit.

S. „*ott*“ („*ot*“, „*ote*“, „*otte*“): amelot, barot, clicquot, garot, marot, mourot, oudinot, palissot, pernot, petitot, richaudot; échalote, emaillote, gargote, marmote, redingote, sanglote; carotte, grelotte, quenotte, frotte, vieillote.

1) Jac. Grimm, deutsche Grammatik, III. p. 703.: att, itt, ott = wahrscheinlich früher atz, itz, otz (z früher = t).

S. „*ing*“ („*ingue, lingue*“): coing, loing, poing; berlingue, bringue, camerlingue; flessingue, norlingue, poudingue, ramingue, seringue.

Huc pertinent verba composita, quorum posteriorem partem formant: „*mand*“, „*rand*“, „*ram*“, ut: *allemand, baudrand, durand, euguerrand, ferrand, froland, galland, guiremand, guiran, serand, taisand, tallemant* etc.

Item litera „*r*“, quae latinis in verbis saepissime interponitur, ut: „*infanterie, diablerie*“, ex analogia germanicarum formarum: Länderei, Ziererei etc. explicanda esse videntur [1]). — Atque omnino syllaba „*rei*“ ex populari Germanorum usu suffixa (Vornehmthuerei, Schreiberei, Schreierei) accuratissime respondet franco-gallicis formis in „*rie*“ exeuntibus: *aumônerie, cachotterie, crierie, féerie, gaucherie, gentilhommerie, nigauderie, tromperie, vacherie* etc.

Aliis germanicis autem derivationibus litera „*r*“ saepe adjungitur [2]).

II. Syntaxis.

Jam monuimus franco-gallicae linguae dignitatem non minui, quia flexiones abjecerit, superflua elementa suppresserit, constructiones denique ad simpliciores leges formaverit. — Abundantia formarum latinam linguam saepe impeditam atque intricatam reddidit [3]). Franco-gallica in lingua particulis facilius et distinctius ea exprimuntur, quae antiquis in linguis flexionibus ambiguis petebantur. Ad simpliciora igitur particularum subsidia ingenium linguae progressum necessario fertur [4]).

1) Jac. Grimm, deutsche Grammatik, II. p. 97. et 377.

2) ibid. II. p. 131. et 165.

3) ibid. II. p. 21.: mitten in aller formenfülle des alterthums herrscht oft unbeholfenheit oder verschwendung, sparsames haushalten mit geringeren aber desto gewisseren mitteln gab auf die länge grössere befriedigung.

4) Conf. C. F. Becker, Ausf. deutsche Gr., III vol., Frankfurt a. M., 1836., I, 31.: Der Gebrauch der Formwörter überhaupt ist aber eine nothwendige Folge der fort-

De articulo.

Articulo adhibito multae rationes subtilius et accuratius exprimi possunt; atque vix aliis subsidiis (ex gr. quidam, aliquis, ille, hic) latina lingua huic inopiae medetur. Unde articuli usus in linguam franco-gallicam venit? Graeca ex lingua, grammatici franco-gallici respondent. — At primum ad linguam oïtanam certe graeca lingua suam vim non propagavit; deinde ipsi graeco sermoni deest articulus indefinitus.

Alii articulum ex latina lingua manasse rati etymologia ex *ille* et *unus* petita suae sententiae fulcrum addere student. Sed, quamquam hanc etymologiam veram esse concedimus, tamen negamus articulum franco-gallicum ulla analogia latinae linguae confirmari posse. Praeterea quaecunque linguae articulum definitum et indefinitum finxerunt, pronomen demonstrativum et primi numeri radicem supposuerunt. In germanica vero lingua usus antiquissimus est, quamquam serius latius patere coepit. Itaque germanicae gentes Galliae sedibus potitae romanis linguis articulum intulerunt, similibus subsidiis ex latina lingua arcessitis. Hanc in sententiam inclinant Raynouardus [1]), Beckerus [2]). Nec scio, an germanicus articulus neutrius generis etiamnunc quibusdam in locutionibus servatus sit; sic garmanica: das sind deine Götter! das schlendert wie die Schnecken! optime respondent: *Ce sont des brigands, ce furent les*

schreitenden geistigen Entwickelung, welche für mannigfaltigere und bestimmter gefaßte Beziehungsverhältnisse mannigfaltigere und bestimmtere Ausdrücke fordert; und es geht eben so, wie die Zusammensetzung der Begriffswörter aus einem inneren Bedüfnisse der Sprache hervor.

1) Conf. Raynouard, Choix d. prés. or., II., p. 44.

